societati accomodatius? nam ut vita nostra acerba et omnium
humana foret, si corporum nostrorum doloribus, qui in dies magis
ac magis accrescunt, nullis unquam remedijs occurreretur: ita
postquam illis occursum est, non potest non maximus honor atque
premium illis hominibus deberi, quorum studium est unumquemque in bo-
na corporis valetudine custodire ac conservare. Ex quibus o-
mnibus neminem credo esse, qui non intelligat, quam utiles,
quam fructuosi, quam salutares, quamque saluti necessarij sint generi
humano medici. Propterea quis illos non omnibus laudibus ti-
tulis dignos censeat? quis eos contemni, despici, illudi impune pa-
tiatur? etenim si Hercules, Theseus, alijque immortalem sibi pepere-
runt gloriam, quod immania quaedam aliorumque loci monstra intereme-
runt: si plurimum profuisse creduntur, atque in aeternum laudan-
tur, qui hoste convicto atque prostrato patriam semel liberaverunt
quanto magis medici praedicandi sunt et in coelos usque evehendi,
qui in dies mortalium genus a validissimis morborum incursi-
bus propugnant atque tuentur? et si Tullio teste, in eos quos
speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, qua-
les in eos existere debebimus, qui modo prosunt aut iamiam
profuerunt? si senatus Romanus anseres publico stipendio ali
iussit, quod Capitolium a Gallorum impetu, clangore et strepitu
liberassent, quam gratos nos esse convenit in eos, qui corpo-
ra nostra curant, tuentur et pascunt? Quamobrem, ut finem

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 206r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/fr/zbz/D0147/206r)